



# Disputatio juridica inauguralis de auctoritate tutorum

<https://hdl.handle.net/1874/341856>

23

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**AUCTORITATE  
TUTORUM,**

QUAM  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.  
*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*  
**D. HERMANNI WITSII,**

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclyta Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,  
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*  
PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis  
rite, ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examine subicit*

SEYNE CONINCK, HORNANUS.  
*Ad diem 14. Decembris, hora locoque solitis.*



ULTRAJECTI,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c Lxxxvi.

*Honorando ac præstantissimo*  
*V I R O,*

**D. P E T R O**  
van **H O O R N E,**

Avunculo suo magno,

U T E T

*Amplissimo & Spectatissimo*  
*Domino*

**D. N I C O L A O**  
**C O N I N C K, J C<sup>TO</sup>,**

Consuli Reip. Hornanæ, supremæ So-  
cietatis Indicæ Orientalis directori &c.  
Patrui suo

Tutoribus suis maximè reverendis,  
*Hæc Theses Inaugurales, Devotissimo*  
*animo,*

Dicat & consecrat  
**SEYNE CONINCK, AUT. & RESP.**



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
AUCTORITATE TUTORUM.

THESIS I.



Uamvis nomen *Auctoritatis*, strictè, & in *Tit. 21. instit. lib. 1.* solummodo ea respiciat, quæ Pupillus ipse gerit, à Tutore suo approbanda; Nos illud latius sumimus, ut potestatem ejus lege constitutam complectatur, tam in rebus, quas ipse, quam quas pupillus gerit. Hanc in genere spectabimus, circa pupillorum personas & bona; Tunc in specie, quid valeat circa Testamenta & nuptias, quæ sui minoris personam tangunt; Quid etiam, circa res ipsius, tam in rebus judicialibus, quam extra-judicialibus: & in hisce, quid, in negotiis à pupillo gestis, ex officio Tutoris sit; Tandem, quid in suis expediendis circa pupilli bona observandum videatur.

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

## I I.

*In genere, Curat Tutor, se autore, ea, quæ ad personam instruendam pertinent; ut pro modulo facultatum & dignitatis fiat educatio; mercedes præceptoribus præstentur, l. 12. §. 3. ff. De admin. & peric. Tutor. & Curat. alimenta rectè decernantur, & omnia, quæ commodo vitæ optimo conducunt. Res etiam benè acquirantur, conserventur; morosos debitores ad solutionem interpellando, si non solvant, legitimè cogendo; Pupillos minoresve defendendo adversus quoslibet actores temerarios, non tantum in primâ, sed & in subsequentibus instantiis: solvat sibi, si sit creditor, & aliis in tempore, ne minori detur damnum ex usuris; pecuniam residuam non linquat otiosam, sed in lucrum collocet, pro suâ maximâ prudentiâ, & ut sit securus, ex consilio & decreto magistratus, ubi de usuris sibi periculum crearetur.*

## I I I.

*In specie, autoritas omnis cessat circa Testamenta, quæ minores Testandi capaces de bonis suis, pro communi libertate, conficiunt. Ut in his omnis Tutorum circumventio absit, rectè statutum est, bona ipsis, eorumque uxoribus liberisve, non relinqui posse, (quamvis jure Romano & ipsis Concubinis legari non sit vetitum, l. 49. §. 4. ff. de leg. 3.) nisi ab intestato, jure sanguinis, successissent, ut parentes, fratres & sorores. Quòd refer placitum Caroli V, 4. Octob. 1540, art. 12. quod Grotius, Introd. lib. 2. tit. 16. ad sola immobilia coarctat; quamvis & mobilia haud sint excludenda, præsertim preciosa, quæ immobilium rationem habent, arg. l. 22. C. de Administr. Tut.*

## I V.

Similiter eorum Consensus in Nuptias minorum de jure non requi-

requiritur, ita ut ad Tutorum officium non pertineat, utrum puella nubat, nec ne, *l. 20. ff. de Rit. Nuptiar. l. 8. C. de Nupt.* Quod asserit expressè *Grot. Introd. lib. 1. c. 8.* Contrarium tamen multis in locis observatur, *vid. Polit. Zeland. Ordin. art. 7.* In hac dicecesi, *Ordinat. matrim. 1584, art. 5.* Et in Frisiâ, *Sande lib. 2. tit. 1. defn. 6, 7.* Sed eo sensu, ut denegandi licentiam non habeant Tutores, nisi subit justa causa; prout idem de parentibus in nuptiis liberorum majorennium judicatur.

## V.

Ad minorennium res *in judicio* tractandas, tutorum auctoritas unicè requiritur; nisi ubi inter ipsos & pupillos agendum foret: Regula enim certa est; tutorem in rem suam auctoritatem accommodare non posse *l. 1. §. 7. h. t.* Uti quoque nemo testis vel iudex in suâ causâ est, *l. 10. ff. de jurisd.* Neque idem actor & reus. Olim, teste Justiniano in *instit. h. t. Prætorius* tutor dabatur, qui legitimo iudicio adversus alium Tutorem ageret, propter juris solennia, non nisi aliquo tutore autore explicanda, quamvis tutorem habenti regulariter tutor dari non posset. Postquam verò, sublato veterum ritu, per procuratorem quemvis in iudicio res potuit expediri, Curator visus est sufficere, qui definit esse, iudicio peracto.

## VI.

*Extra iudicium* supervacua Tutorum auctoritas, ubi nullum incommodum pupillo creari potest. Igitur minorennis conditionem suam meliorem potest facere, sibi stipulari, ignorante Tutore, contrahentem secum, in lucrum suum, obligare, id, quod debent, ut remittatur, acceptum feratur, pacisci. Econtrà, se, absque Tutore, nequit obligare, in quantumvis lucrosâ conditione; imò si vel luculenta hereditas foret adeunda, ita ut à pupilli parte omnes conventiones claudicent, §. 1. *Instit. h. t.*

6 DISPUTATIO JURIDICA

VII.

Hinc axioma: Quod in omnibus causis, ex quibus obligationes mutuae nascuntur, ut, in emptionibus, venditionibus, conductionibus, mandatis, depositis, & aliis id genus, ipsi, qui cum his contrahunt, obligentur, quum suae temeritati damnum imputare debeant, non enim ignari deberent esse, & vel ex ipso aetatis aspectu, conditionis ejus, quo cum contrahunt; at invicem pupilli non obligantur, civiliter nempe, & cum effectu juris, quamvis naturaliter debeant, ac insuper restituere cogantur, in quantum sunt facti locupletiores *l. 5. §. 1. h. t.* quum naturae aequum sit, in alterius jacturam neminem locupletari, *l. 14. de Cond. indeb.*

VIII.

Olim Tutor statim in ipso negotio, quod ejus auctoritatem desideraret, auctor fieri debuit, si hoc pupillo existimaret prodesse; ut certo sciret, quid negotii, & qua fide geratur; ipse enim integrat quodammodo personam pupilli, qui per se contrahere nequit; actus itaque ipso jure invalidus, & qui per intervallum non posset firmari, hac ratione sustinetur, ubi tutor incontinenti subsequitur, eum concludens & animans, *§. 2. instit. h. t.* Post tempus, per epistolam, aut sub conditione auctor Tutor, nihil agebat, *l. 8. ff. h. t.* Verum quum, procedente tempore, ratihabitio principali mandato, vel consensui aequiparetur, & nova Justiniani lege, prorsus retro trahatur, confirmans ea, quae ab initio subsecuta sunt, *l. ult. C. ad SC. Maced.* exemplo hujus praesentiae Tutoriae subtilitate, negotium a minorenni gestum retrò confirmabitur.

IX.

Si ipsi Tutores, sine pupillis, res pupillares administrant, ex eorum facto hi agere & conveniri possunt: quod eo usque ob-  
tinet

tinet, ut actio mutui, & vindicatio minoribus sit acquisita, quamvis Tutores pecuniam pupillarem tanquam suam mutuò dederint, vel inde sibi prædia comparaverint; idque non sine summâ ratione, scilicet, ut, si tutor solvendo non sit, minor, tanquam Dominus pecuniæ mutuæ, vel prædii, omnibus creditoribus præferatur; &, ut, si rei ita comparatæ pretium valdè adauctum sit, augmentum hoc suo jure consequatur. Quid si diminutum? Rem illam minor rejicere poterit, *arg. pr. instit. h. t.* Ex adverso, si Tutores in rem minorum pecuniam mutuam sumserint, ipsi minores obligantur, *l. 3. C. Quando ex facto Tutoris, & si fuerint condemnati, ipsam actionem judicati, ubi Tutores ab officio discesserint, in se suscipiunt, l. 1. C. cod. Tit. l. 26. C. de administr. Tut.*

non, imò illi, illud sibi, X. quibusque, tuncque non

Undè Regula generalis observatur: Quod, quoties Tutor facit, ad quod ratione muneris tenetur, licet is suo nomine fecerit, censeatur pupilli nomine fecisse, *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 38. n. 2, 3.* Quo fundamento posito, & nomen pro pecuniâ minoris constitutum, ad hunc pupillum pertinet, quamvis Tutor se Creditorem nominari passus sit: & simili modo mercaturæ, negotiationesque patris minoris, per Tutorem continuatæ, nomine minorum protractæ censebuntur. *Carpzov. defin. forens. part. 2. constit. 11. defin. 38.*

XI.

Econtrâ, si tutor ratione officii, se suaque bona obligaverit, proprio nomine non tenetur, quum pignora suam interpretationem ex principali obligatione debeant accipere. *l. 178. ff. de R. I.* Et in dubio, pro Tutore præsumtio est. *Manrica de tacit. & ambig. convent. lib. 6. tit. 17. num. 6.* Nisi expresse sit actum, ut, pro pupillari debito, se ipsum constitueret fidejussorem. Ita quoque, propter æs alienum pupilli, tutoris patrimonium pignori non subicitur, quia tutelam non

ex

ULTRAJECTI

FRANCISCI HALM, Academiæ  
Typographi, cl. bc LXXXVI.



ex voluntate, sed necessitate officii gerit, quod, quum satis onerosum sit, ipsi damnosum fieri non debet, *l. 7. ff. testam. quem adm. aper. l. 61. §. 5. ff. de furr.*

## X I I.

Tandem circa Res minorum alienandas hæc Tutorum auctoritas est: Quod mobilia possint publicâ licitatione vendere, & pecuniam inde redactam in agros, vel scœnori dare: Immobilia verò neutiquam distrahere, nisi in ære alieno, quod ex ceteris minorum rebus solvi non possit; atque hoc, non nisi magistratu loci adito, & pro suâ religione distractionem decernente, *lib. 12. & tot. tit. C. de prad. & aliis reb. minor. sine decreto non alienand.* Ubi æs alienum non intervenit, tutores tamen allegent, expedire, hæc prædia vendi, illa emi, non audiuntur, *l. 5. §. 14. l. 13. in pr. ff. de reb. eorum, qui sub tutel.* Nisi testator de distrahendo in Testamento vel codicillis caverit, *l. ult. ff. de prad. & aliis reb. minor.*

